

causas dirimendas in communem utilitatem. Ideo tenentur ad compensanda omnia damna quae praeviderint suffragio suo efficaciter impediri posse. Non tenentur vero in duplici casu :

a) Si cum plena certitudine praevident tantum fore numerum eorum qui injustae sententiae vel legi calculum daturi sint, ut nulla sit spes eam efficaciter impediendi. Qua de re tamen scite monet Lugo (l. c. n. 68) cavendum esse ne quis, propter humanum timorem, sibi fingat praesentiam suam fore inutilem, " cum non raro contingat, quod ex unius sententia, ingenue et libere prolata in publico, multi moventur et sententiam etiam jam dictam mutant. „ Quod praesertim in minoribus conventibus, ex. gr. societatum commercialium vel industrialium, saepe usu venit.

b) Si justam causam absentiae seu legitimum impedimentum habent. Haec autem causa excusationis tanto major esse debet quanto majus malum ex absentia timetur. Quare qui norunt rem magni momenti tractatum iri et periculum esse ne absentia sua noceat, non poterunt nisi ex gravissima causa excusari. (Lugo, l. c. n. 67)

Hinc regulariter ad restituendum tenentur magistratus vel deputati, qui munus aliquod, puta administratoris, in aliqua societate privata suscipere ; iudices vel jurati qui communi calculo sententiam ferre debent, etc. quotiens absentia sua vel " abstentione „ moralis causa fuerunt damni reipublicae, religioni vel privatis illati.

**QUAER. V.** Num teneatur ad restitutionem erga dominum furto laesum qui a fure pecuniam accipit ad tacendum, neque ex officio ad furem denunciandum obligatur.

**RESP.** Non tenetur, dummodo res a fure data non sit furtiva, neque aliquid agat quo positive furi animum addat. Nam sicut is qui, nullo pretio accepto, denuntiationem omittit, contra solam caritatem peccat, ita qui, accepto hoc pretio, tacet, justitiam commutativam non laedit. (Lugo, disp. 19. n. 102)

#### § 8. DE RESTITUTIONE IN SOLIDUM.

**548.** Obligatio restituendi in solidum, quae et solidaritas nuncupatur, est obligatio quae incumbit singulis cooperatoribus reparandi solidum seu integrum damnum quod a pluribus illatum est.

De hac obligatione tria praesertim consideranda veniunt : 1° Quibus cooperatoribus incumbat. 2° Quo ordine a singulis sit praestanda. 3° Quenam ab ea peragenda excusent.

**I. Obligatio** restitutionis in solidum determinatur hac regula : unumquemque teneri ad reparandum damnum cujus causa fuerit cum condicionibus n. 512 seqq. explicatis. Hinc sequitur neminem ad totum damnum reparandum obligari nisi aliqua ratione totius damni efficacem causam, sive physicam, sive moralem posuerit. Hoc autem contingit :

1° Quando cooperatores *e stricta conspiratione* agunt. Talis conspiratio *certo* habetur cum singuli ceteros efficaciter ad commune consilium, ex. gr. furtum patrandum, determinant, puta per suasiones, hortationes, etc. Multi etiam *opinantur* talem conspirationem, quae ad restitutionem in solidum obliget, adesse quotienscumque *individuum damnum* communi consilio a pluribus infertur, ex. gr. incendere domum, navem in altum demergere, etc. Ratio eorum est quod etiam tum totus effectus moraliter e singulis procedit : siquidem, propter concursum, cooperatio singulorum cum actione ceterorum coalescit in actionem moraliter unam e qua damnum procedit. Nihilominus censent Lugo (disp. 19. n. 83) et S. Alph. (n. 579) probabilem esse sententiam quae, in hoc casu, cooperantes obligat tantum ad solvendam partem suam in damno quod sine ipsis etiam fieret. Affertur haec ratio : singuli tunc, sicut partialiter tantum concurrunt, partialiter tantum obligantur. Ut enim fatentur oppositae sententiae fautores : qui cum aliis infert damnum *dividuum*, ex. gr. vastando segetem, tenetur tantum ad partem suam ob partialitatem effectus in damno causato ; ergo, a pari, qui concurrat partialiter tantum ad damnum *individuum*, ob partialitatem influxus, partialiter tantum tenetur.

2° Quando actio illius de cujus obligatione quaeritur *sufficiens* fuit ad totum damnum sive immediate, sive mediate inferendum. Exemplo sunt qui mandato suo famulos ad furandum inducunt ; qui una cum sceleris socio, sclopetum explodens, hominem interimit ; qui socios quaerit ad rem furtivam asportandam, etc.

3° Quando actio cooperantis, quamvis sola *sufficiens* non fuerit, tamen *necessaria* fuit ad damnum inferendum. Exemplo sit in genere causae physicae, qui furem adjuvat ad asportandam arcam quam is solus asportare non potuisset ; in genere causae moralis, qui cum pluribus aliis convenit de inferendo damno quod isti, eo contradicente vel absente, inferre numquam ausi fuissent.

Si, e regulis supra positis, non constat cum morali certitudine de influxu cooperantis in totum damnum, is manet quidem obligatus ad reparandum damnum quod ipse intulit, ex. gr. ad compensandam partem segetis a se vastatam ; restitutio autem in solidum, utpote dubia, imponi nequit.

Ex iisdem regulis resolvi possunt sequentes casus :



a) Qui se adjungit aliis jam determinatis, ex. gr. ad domum expilandam, non tenetur nisi ad partem damni quam ipse intulit vel rei alienae quam ipse detinet; ad totum damnum reparandum teneretur, si ejus praesentia vel opitulatio ita fuisset reliquis necessaria ut sine illa damnum inferre non potuissent vel ausi non essent.

b) Miles gregarius qui, in bello injusto, damna cum reliquo exercitu intulit, probabiliter non tenetur ad reparanda damna a sociis illata. Nam concurrunt quidem partialiter ad damna a toto exercitu causata, sed ita ut sine illo damna eadem a reliquo exercitu inferrentur. Licet enim singuli reliquorum concursu moveantur, non moventur tamen consortio hujus gregarii militis ita ut, eo absente vel recedente, non moverentur. Quare influxus singulorum militum in damnum totale tam debilis est ut vix sit attendendus. (Lugo, disp. 19. n. 90)

c) Qui suffragio suo ad sententiam legemve injustam ferendam concurrat, nondum completo numero ad damnum inferendum necessario, in solidum tenetur. (Lugo, ib. n. 83)

d) Qui, sine conspiratione stricte dicta, ignem subjicit aedibus quas alii jam incenderunt, probabiliter in solidum non tenetur. Licet enim causa ex natura sua ad totum damnum inferendum apta sit, reapse tantum partialiter influxit in damnum quod alii jam ex parte intulerant. Tenetur tamen ad compensandum damnum quod reapse, ex igne a se apposito, aedibus illatum est, nisi incendium eo tempore quo ignem injecit jam tanta vi saeviret ut aedes integrae certo periturae essent. (Lehmk. I. n. 1017)

549. II. Ut determinetur **ordo** quo a cooperantibus singulis integrum damnum reparandum sit, distinguendum est inter eos qui eodem prorsus gradu et modo in damnum illatum influxerunt, et inter eos qui gradu vel modo differunt, puta quia unus rem furtivam detinet dum alter tantum ad eam auferendam adjuvit, vel quia unus est damni causa principalis, alter causa secundaria tantum. Igitur :

1° Quando cooperatores eodem gradu et modo se habent ad damnum illatum, ex. gr. tres qui e stricta conspiratione domum incenderunt, singuli absolute tenentur ad satisfaciendum pro virili parte; conditionate autem ad totum damnum reparandum, nempe si reliqui, vel quidam ex illis, restituere aut noluerint aut non potuerint. Attamen qui ita pro aliis integram restitutionem fecit, potest a singulis repetere, etiam per occultam compensationem, partem ad quam illi absolute tenebantur, puta, in citato exemplo, tertiam.

2° Quando cooperatores diverso gradu vel modo se habent ad damnum illatum, primo loco ad restituendum tenetur qui rem alienam detinet in se vel in aequivalenti; secundo loco, mandans; tertio loco,

exsequens vel actionis particeps; quarto loco, ceteri cooperatores positivi; quinto loco, cooperatores negativi.

Attamen magnum discrimen viget inter rationem qua tenetur *causa principalis* et rationem qua tenetur *causa secundaria*. Principalis enim, ex. gr. mandans vel (hoc deficiente) fur, absolute obligatur ad totum damnum compensandum. Ideo si ipse restitutionem integram fecit, nihil jam neque ipsi, neque damnificato debent causae secundariae, ex. gr. non manifestantes. At si causa secundaria, deficiente principali, integram restitutionem effecit, tenetur principalis ad tribuendam causae secundariae compensationem quam damnificato tribuere debuisset. Haec enim successit in jus damnificati cui pro principali satisfecit.

Consulens regulariter est causa secundaria relate ad executorem : quia plerumque executor proprio nomine et in suam utilitatem damnum infert. Quandoque tamen primario teneri potest : nempe si consilium dedit in proprium tantum commodum. (S. Alph. n. 560) Immo etiam fieri potest ut solus teneatur, nempe quando sciens volens dat injustum consilium quod alius bona fide exsequitur : quod praecipue accidere potest in iis qui apud alios fama vel auctoritate pollent. (Lugo, disp. 19. n. 35)

550. III. **Excusatur** a restitutione in solidum facienda is qui per se ad eam tenetur :

1° Si nescit vel, inquisitione facta, dubius haeret num restituerit auctor principalis vel alii cooperatores. Nam crimina non sunt praesumenda, sed probanda; nec quisquam ad restitutionem faciendam obligatur nisi de ea facienda, morali certitudine, constet : quod in casu non obtinet, siquidem dubium manet num obligationem supplendi pro aliis contraxerit. (Marres, n. 127)

2° Si damnum passus debitum condonavit causae principali : nam, ruente principali, ruit accessorium. Ob rationem autem contrariam, patet manere obligationem causae principalis, si damnificatus remissionem facit causae secundariae. (S. Alph. n. 581)

3° Si damnum passus remittit alicui e causis aequae principalibus partem suam, reliqui jam ab hac parte supplenda eximuntur. (S. Alph. ib.) Per se tamen haec remissio tamquam plena condonatio erga alios haberi nequit, nisi ex adjunctis pateret hanc esse condonantis intentionem. (Gury, I. n. 703)

Ad praxim conducit quod docet S. Alph. (H. A. tr. 10. n. 54), plerumque non expedire ut confessarius moneat participantes in furto de obligatione restituendi in solidum, praesertim si sunt conscientiae parum meticulousae; quae doctrina ad alios similes injustos cooperatores extendi potest. Nam aegre hujusmodi homines sibi persuadebunt se



teneri ad compensandam partem quae ab aliis ablata vel destructa fuerit; ipsi autem domini supponi possunt consentire ut singuli damnificantes tantum partem a se ablatam vel destructam compensent, ne, si de integro damno reparando admoneantur, ab omni restitutione abstineant.

### CAPUT V.

#### DE CIRCUMSTANTIIS RESTITUTIONIS.

##### § I. DE PERSONA CUI RESTITUENDUM SIT.

**551.** Universali principio hoc argumentum regitur: ei restituendum esse cujus laesum sit jus. Restitutio enim fit ut laesum jus alienum reparetur. Quare si per errorem alii facta est restitutio quam personae laesae, manet integra obligatio restituendi, cum aequalitas minime reparata sit. Excipitur tantum casus quo res quae in individuo jam alienata est, sine delicto erat in possessione restituentis: nam si transiit ad tertium, neque jam recuperari potest, perit domino, is vero qui possessor erat bonae fidei, nulla jam ratione ad restituendum tenetur. (n. 525). Cfr. Lessium, l. 2. c. 16. n. 62 seqq.

Tres casus hic distingui possunt: nam vel certo constabit vel dubium erit vel penitus ignorabitur ab eo cui restitutio incumbit quis laesus sit seu rei injuste acceptae sit dominus. De singulis casibus quaedam singillatim statuemus.

**ASSERTA. I.** Quando certo constat quis damnum passus sit, ei restituendum est, etiamsi forte non sit immediatus rei ablatae vel destructae dominus. Is enim cui restituitur, in rei possessionem mittitur: ideo res reddenda est ei qui hic et nunc habet jus eam possidendi. Ita si quid injuste ablatum est depositario, commodatario, conductori et similibus, his, non autem immediatis dominis restituendum erit.

Attamen quandoque immediatis dominis restitutio fieri poterit, nempe si talia sunt adjuncta ut ii qui jus possidendi habent nullum incommodum exinde passuri videantur, vel si iidem probabiliter aestimantur rem cum damno domini absumpturi.

Similiter quae accepta sunt a filiofamilias, uxore, pupillo, religioso, etc. ex bonis quorum isti administrationem non habeant, per se resti-

tuenda sunt patri, marito, tutori, praelato. Attamen restitutio ipsi filiofamilias, uxori, etc. facienda esset, si restitutio patri, marito, etc. facta gravem infamiam illis inureret, nec necessaria foret ut hi indemnes servarentur. (Ball. P. n. 194)

Si laesa est aliqua communitas legitima in iis bonis quae, velut persona moralis, possidet, restitutio facienda est iis qui ejusdem bona administrant: hi enim repraesentant personam illam moralem cui laesio facta est et quae proinde jus habet ad restitutionem. Sed si ipsa communitas ad finem pravum prosequendum instituta est, neque jus existendi, neque jus possidendi legitime in foro conscientiae habere potest, quamvis in foro externo tale jus ipsi a lege civili agnoscat. Bona igitur quae in communi civiliter possidet, revera in dominio singulorum membrorum esse pergunt, ut observat Lehmkühl. (l. n. 1021) Ideo restitutio pro rata singulis membris facienda esset. Facile etiam pro membris illis pauperes eligi poterunt, praesertim quod raro pars singulis reddenda erit gravis, neque talis restitutio pro rata singulis sine magna difficultate fieri plerumque poterit. Attamen communitati legitimae, quae bona quaedam in pravum usum adhibet, restitutio, pro damno hujusmodi bonis illato, facienda est: pravus enim usus non impedit quominus jus suum in haec bona servet.

**552. II.** Si **dubium est** quisnam laesus fuerit vel ad quemnam res aliena pertineat, imprimis diligentia rei valori proportionata adhibenda est ut dubium tollatur. (n. 485) Quodsi nihilominus dubium remanet, aliter casus solvendus erit prout dubium inter paucos vel inter multos versatur.

Si inter *paucos* versatur, inter ipsos, pro rata dividenda erit res quae restituenda venit, nisi malint ipsi amicam compositionem inire. Exemplum habes in eo qui reddere debet nummum aureum certe ab uno e paucis simul ludentibus amissum.

Si inter *multos* versatur, ut praesertim usu venit mercatoribus qui, fraudando in pondere et mensura, nulli notabile damnum intulerunt, lucrum vero sat magnum injuste fecerunt, conandum est ut restituatur iis qui laesi fuerint, quantum moraliter fieri potest, ex. gr. augendo pondus et mensuram. Attamen non nisi leviter peccaret qui talem restitutionem faceret pauperibus, praesertim ejusdem loci: siquidem, cum nullus graviter laesus supponatur, erga nullum determinatum habetur gravis restituendi obligatio. Immo a veniali quoque excusaretur, dummodo accederet aliqua rationabilis causa, ex. gr. quia sine aliquo notabili incommodo clientibus restituere nequit, vel quia adsunt pauperes valde indigentes, quibus ut restituatur, facilius censi possunt domini laesi consentire. (S. Alph. n. 595)